

salibus. Quod vero mens fuerit Alexandri III. in cap. 10. compellendi reluctantem ad ineundum matrimonium solummodo in hypothesi in qua mali exitus non timerentur, patet ex specie eidem proposita. Sane agebatur de sponsalibus a duobus nobilibus pubescentibus, et ab eorum parentibus ideo contractis, ut interveniente matrimonio quæstio inter familias extingueretur. Cumque parens viri vellet iterum arma sumere contra parentem mulieris, persuasit filio suo ut a sponsalibus recederet. Filius forsani in scius malæ intentionis parentis cum nullam aversionem haberet erga puellam ex solo respectu erga patrem a sponsalibus resilire conatus est. Alexander III. considerans juvenem non odio sed ex velleitate quadam a data fide resilire, et cæteroquin timeri non posse malos exitus ex matrimonio immo sperari posse felices, nempe pacem familiarum respondit virum esse compellendum ad celebrandum contractum matrimonii.

Quapropter in præsentia materia sequens est præ oculis habenda regula: Scilicet si quæstio implorandæ fidei sponsalium coram iudice agitur, et liquido constet de valore sponsalium, iudex debet serio admonere partem reluctantem de gravi obligatione, qua in conscientia adstringitur ad contrahendum matrimonium.

Quod si nihilominus obstinata voluntate obsistat ita ut appareat etiam in posterum duratura, adhiberi non debent poenæ ecclesiasticæ, et coactio moralis ad obtinendum consensum matrimonialem, nam coacta conjugia solent habere difficiles exitus.

Hæc procedendi ratio capit. 17. œconomiae gratia proponitur. Videlicet optime et indubie a Jure agnoscitur obligatio sponsalium, sed ea non semper urgetur ob majus malum quod prudenter prævideri potest: infelices nempe exitus coacti conjugii. Verum si omnibus circumstantiis perspectis, infelices effectus conjugii non possint timeri, hoc in casu servanda est dispositio cap. 10. qua statuitur reluctantem esse prius monendum, si monitis non acquiescat, esse compellendum ad servandam fidem datam alteri parti. Unde aliquando iudex potest compellere invitum ad servandam fidem datam in sponsalibus.

42. Quæritur modo quænam media eidem præsto erunt ad hanc coactionem exercendam.

Jure antiquo expresso in cap. 10. h. t. poterat iudex statim gladio censurarum ferire sponsum reluctantem contrahere matrimonium. Verum jus hoc correctum fuit a Conc. Trident. in cap. 3.

Sess. 25. De Reform. ubi statuit non posse iudicem uti gladio censurarum in causis expediendis, nisi quando via eidem præcludatur ad alia media efficacia exercenda, quæ præcipue sunt executio realis vel personalis.

De Dissolutione Sponsalium.

43. Sponsalia in genere resolvi possunt; sequuntur enim naturam aliorum contractuum.

Plures sunt modi quibus sponsalia dissolvuntur. I^o. Dissolvuntur sponsalia mutuo consensu. Valet enim in sponsalibus regula 1. Juris in VI^o. *'Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur'*. Igitur quemadmodum per mutuum consensum sponsalia contrahuntur, ita etiam per mutuum dissensum possunt resolvi. Hinc modus iste resolutionis sponsalium est non solum validus sed etiam licitus.

44. Et quidem per mutuum consensum dissolvuntur sponsalia etiam juramento firmata (c. 2. h. t.). Nam juramentum consideratur ceu qualitas posita ad confirmandum ipsum contractum sponsalium. Hinc resolutio per mutuam voluntatem contractu, etiam obligatio religionis vires suas amittit. Impleri enim non potest modo distincto ab ipso contractu.

45. Verum notandum est, per mutuum dissensum resolvi non posse sponsalia ab impuberibus contracta, quoadusque pubertas non advenerit. Ita in cap. 8. De Despons. Impub. Ratio hujus juridicæ dispositionis est, quia non est nimis favendum temeritati impuberum.

46. II^{us} modus quo sponsalia resolvuntur est *ingressio*, vel *professio in religione approbata*, vel *promotio ad sacros ordines*. Conf. possunt cap. 16. h. t. et cap. 7. De conversione conjugatorum. Quamvis per solum ingressum in religionem non dissolvatur matrimonium ratum et nondum consummatum pro alterutro conjugue; tamen quia sponsalium vinculum minus est, sponsalia solvuntur pro parte quæ in sæculo remanet.

Ratio est quia pars quæ ingreditur religionem præsumitur firmum propositum habere, suscipiendi meliorem statum, ac proinde præsumitur renunciasset juri acquisito ex alterius partis promissione. Hæc enim pars non tenetur exspectare alteram, quoadusque velit experiri suam vocationem ad vitam perfectiorem, ut inde in conjugem assumat personam, quæ habitum religiosum deposuit.

47. At sponsalia in casu non solvuntur relate ad partem quæ religionem ingressa est. Si enim exeat et pars, quæ in sæculo mansit nihil posuit, per quod manifestaret contrariam voluntatem, et recessum a sponsalibus, tenebitur cum ea matrimonium contrahere.

Solvuntur etiam sponsalia per susceptionem ordinis sacri et quidem ex utraque parte.

48. Non item vero dissolvuntur sponsalia per susceptionem ordinum minorum. Non enim incompatibiles sunt cum statu conjugali.

Notant tamen Doctores solvi sponsalia saltem ex parte mulieris si ea inscia vel invita vir ordines minores susceperit. Mutatio enim notabilis ex parte viri inducitur; qui insuper videtur sese disponere ad suscipiendos ordines majores, ac proinde præsumitur renunciare juribus sponsalitiis.

49. III^{us} casus dissolutionis sponsalium est *contractus matrimonii* cum alia persona, et quidem satis est ut matrimonium sit tantummodo ratum. Ita *in Capp. 31. h. t. et 1. De despons. duorum.*

Ratio est quia per matrimonium de præsentibus a partibus contrahentibus acquiritur utrinque jus conjugale ita ut vicissim constituentur vir et uxor ac proinde non detur recessus ad priorem personam, cum qua contracta fuere solummodo sponsalia, idest solummodo fuit promissum jus conjugale.

50. Verum solutio hæc sponsalium eritne prorsus absoluta, ita ut soluto inde matrimonio, reviviscat obligatio eorundem sponsalium?

Procul dubio pars, quæ matrimonium non contrahit, ex facto alterius liberatur prorsus ab obligatione suscepta erga eam partem, quæ contraxit matrimonium. Relate ad partem, quæ contraxit matrimonium, sunt qui dicunt resoluta esse etiam pro ipsa absolute sponsalia per matrimonium; nam contractus conjugalis inducit de se, idest ex ordinaria lege, statum perpetuum, contrarium sponsalibus antea initis ac proinde quamvis illicite tamen valide videtur prorsus esse extincta obligatio orta ex iisdem sponsalibus.

Verum inspecto rigore justitiæ, cum aliis doctoribus melius retinendum est, sponsalia per matrimonium cum alia persona contractum non extinguere penitus sed suspendi, ita ut soluto matrimonio hujusmodi sponsalia reviviscant. Scilicet si altera pars

voluerit expectare, nec aliquod factum ponat per quod juri suo renunciet, simulque verificetur solutio matrimonii, pars, quæ per injuriam matrimonium contraxit, tenetur matrimonium celebrare cum ea persona cum qua contraxerat sponsalia. Nam obligatio ex sponsalibus orta natura sua est perpetua et solummodo ob matrimonium celebratum ad effectum reduci nequit, id est ob interjectum impedimentum matrimonii suspenditur. Sublato igitur hoc impedimento, obligatio illa totam vim suam exerit, et executioni mandanda est si altera pars velit.

51. IV^{us} casus solutionis sponsalium relate ad unam partem verificatur per *discessum* sponsi, qui inscia aut invita sponsa vel domicilium alibi figat, vel in alias partes sese transferat brevi non rediturus, sive id peragat ex causa utili et necessaria sive id peragat ex libera ejus electione. Conclusio hujusmodi eruitur ex *cap. 5. h. t.* Ratio est quia notabilis rerum mutatio ex parte sponsi inducta est, qua sponsa vel teneretur domicilium mutare, vel diu expectare reditum sponsi, cum gravi incommodo et periculo amittendi occasionem aliarum nuptiarum.

52. Huic causæ est similis altera, quæ est nimia temporis dilatio, et quidem si præfinitus terminus fuerit ad extinguendam obligationem statim eo tempore adveniente sponsalia soluta erunt, pro utraque parte vel saltem pro una, prout per utrumque sponsum, vel per unum, non steterit, quominus matrimonium intra tempus adsignatum contraheretur. (*Cap. 22. h. t.*)

53. Si tempus præfinitum fuerit ad differendam obligationem, scilicet ita ut ante illud tempus obligatio non urgeat, dilatio ad hoc tempus decurrens non solvit sponsalia. Quod si tempus præfinitum non fuerit, et una pars instet ut celebretur matrimonium, altera vero renuat absque legitima causa dilationis, prior pars poterit in genere resilire a contractibus. Pars enim quæ injuste recusat obligationi susceptæ satisfacere, eo ipso præsumitur renunciare juri suo et aliam partem solvere a quocumque onere.

54. V^{us} modus solvendi sponsalia, juxta *cap. 25. De Jurejurando*, verificatur *ob crimen fornicationis*. Distinguendum vero est inter fornicationem sponsalia subsequentem, et antecedentem. Subsequens fornicatio sive viri, sive mulieris semper solvit sponsalia in favorem partis innocentis, quia læsionem importat in eo quod est fides futuri conjugii.

55. Non solvit vero fornicatio sponsalia in favorem partis nocentis, quia nemo reportare debet ex suo crimine commodum. Id vero in genere verificatur, nam si per fornicationem contrahatur impedimentum dirimens affinitatis, quemadmodum contingeret si sponsus copulam haberet carnalem cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu, in hac hypothese sponsalia dissolvuntur pro utraque parte. Res enim incidit in eum casum a quo incipere non poterat.

56. Quod si fornicatio præcessit, distinguendus est duplex casus, idest vel fornicatio fuerit ab altera parte cognita, vel non. Si cognita fuerit tempore contractus sponsalium, non nocet sponsalibus, censetur enim unus contrahens alteri quemlibet defectum condonare.

57. Si vero fuerit ignorata, nocet, quia obligatio sponsalium suscepta præsumitur sub hac conditione 'dummodo res se habeant quemadmodum apparent'. Jamvero unus ex contrahentibus apparuissest honestus, cum criminosus fuisset.

58. Non desunt tamen Doctores, qui bene animadvertunt, ob præcedentem quidem fornicationem mulieris solvi sponsalia, quando vir crediderit eam esse virginem, eamque fama communis eousque talem existimaverit, non autem viri, quia in opinione communi magis est præjudicium honestatis mulieris, quam viri ob crimen fornicationis.

59. Quod si objiciatur textus *cap. 25. De Jurejur.* in quo statuitur posse quidem opponi contra mulierem fornicationem subsequentem non vero præcedentem, respondemus juxta glossam in eodem capite sermonem esse de præcedente fornicatione cognita tempore contractorum sponsalium. Ideo enim fornicatio præcedens opponi nequit, quia censentur mores mulieris fuisse a viro probati per sponsalia; at certe probari non poterat, quod ignorabatur a viro.

60. VI^{us} casus solutionis sponsalium verificatur ex *mutatione notabili in bonis animi, corporis, vel fortunæ* alterutrius ex contrahentibus; sive mutatio sit superveniens, sive præcesserit sed ignorata fuerit. Si enim superveniat hæc mutatio notabilis, obligatio perseverat solum pro parte, quæ notabilem mutationem passa est, non vero tenet amplius pro alia parte. Nam obligatio præsumitur suscepta cum implicita conditione 'si res ita permanent quemadmodum sunt tempore contractus'. Quod si præcesserit

mutatio, solvuntur sponsalia ob aliud principium, quia sponsalia præsumuntur contracta sub implicita conditione: 'Si res ita sint quomodo apparent'. Indifferens autem est si mutatio sit animi vel corporis vel etiam fortunæ etc. Sufficit ut sit mutatio gravis momenti idest talis, quam si altera pars cognovisset procul dubio sponsalia non contraxisset.

61. Porro mutatio notabilis animi censetur verificari quoties alteruter ex sponsis contrahat infamiam ob furtum, homicidium, apostasiam vel aliud grave crimen. Item si appareat vitio aliquo ex. gr. ebrietatis maculatus, vel fiat aleator, turbulentus, vel demens.

62. Mutatio notabilis corporis verificatur quoties alteruter ex sponsis incidat in morbum incurabilem, et præsertim contagiosum. Item si corporis vel membrorum deformitatem contrahat. *Confer. Cap. 25. De Jurejurando.*

63. Mutatio notabilis in bonis fortunæ contingit cum unus ex sponsis ex honesta conditione in paupertatem incidat, quæ prævideri non poterat. Hinc immutatio fortunæ quæ poterat prævideri, sponsalia non solvit.

64. Inter mutationes notabiles doctores adsignant inimicitias graves, quæ exoriantur inter parentes utriusque sponsi, vel inter ipsos sponso, quia difficiles exitus solent in matrimoniis producere.

Verum in hac re a iudice qui de dissolutionis causa decernere debet, caute est procedendum et præsertim consideranda est dispositio animi utriusque sponsi, et probabilitas futuræ conjunctionis animorum inter utrumque. Quæ probabilitas si verificetur, non est admodum attendenda actualis dissociatio animorum. Insuper investigandum sedulo est, utrum dissociatio actualis sit necne vera an simulata.

65. VII^{us} casus dissolutionis sponsalium est *impedimentum* superveniens, ex quo matrimonium celebrari nequit inter sponso. Ex. gr. impotentia, affinitas ex copula illicita, quam habeat alteruter ex sponsis cum persona consanguinea alterius in primo vel in secundo gradu.

66. Dicunt vero doctores, in casu quod superveniat ex culpa unius ex sponsis, quodque dispensari soleat a Romano Pontifice, teneri ad procurandam dispensationem solummodo ordinariis expensis eam partem, quæ causam posuit impedimenti. Rationem

vero inferunt ex eo, quod dispensatio necessaria est ad sarcendum damnum alteri illatum ex propria culpa.

67. Restat ut duo animadvertamus 1^o. non eandem requiri in omnibus supra expositis probationem. Nam si causa solutionis sponsalium procedat ex impedimento sive dirimente sive impediante matrimonium, cum interveniat periculum animæ, non requiritur plena probatio, sed sufficit probatio semiplena, quæ nempe rationabile dubium ingerat de valore aut etiam de licitudine matrimonii contrahendi in executionem sponsalium.

68. Si vero agatur de causa solutionis, quæ solum concedat facultatem uni ex contrahentibus resiliendi a sponsalibus, probatio causæ debet esse plena, quæ nempe rationabile dubium in contrarium removeat. Nam in hypothese agitur de damno inferendo tertie personæ, seu illi contra quam sponsalia nulla esse dicuntur.

69. 2^a. Animadversio respicit ipsum actum solutionis sponsalium. Scilicet si causa resiliendi a sponsalibus non sit certa et explorata, sed sit dubia, sive quoad suam existentiam, sive quoad suam extensionem et valorem et altera pars sit invita; non poterit quis illico a sponsalibus resilire, sed opus erit ut ecclesiastica auctoritas interveniat et quæstionem dirimat. Casus enim est in quo decisio judicialis necessaria est, quæ certum finem imponat dubietati ne partium arbitrio lis finienda remittatur. Quod si causa moraliter certa sit solutionis sponsalium, *in genere et per se* non est necessaria auctoritas Ecclesiæ, quæ decernat de valore sponsalium, sed pars, quæ cognoscit propriam libertatem, potest auctoritate privata a sponsalibus resilire; atque ita agere perinde ac si sponsalia non intercessissent. Nam ipsa certitudo moralis eximit unam partem ab obligatione in sponsalibus contracta.

70. Dixi *de se et in genere*, nam in specie et ob relationes speciales potest requiri auctoritas ecclesiæ; ex. gr. si causa resiliendi non fuerit publice, et sufficienter cognita, et e contra communiter cognoscantur sponsalia valida. In hac enim hypothese ob periculum scandali fidelium necessaria erit auctoritas Ecclesiæ, quæ pronunciet de cessatione obligationis.

De Matrimonio.

71. Matrimonium potest in genere considerari prout est officium naturæ, et definitur: *'Maris et feminae legitima conjunctio,*

individuum vite consuetudinem retinens'. Definitio hæc conjugii convenit sive christianorum sive infidelium.

72. In specie matrimonium accipitur prout est sacramentum idest prout exstat in Ecclesia Christi, ex Christi ipsius institutione, qui assumpsit ipsum contractum naturalem conjugii in signum unionis suæ cum Ecclesia eique gratiam supernaturalem tribuit, qua contractus ipse naturalis, et legitimus fieret Sacramentum, quod definiri potest *'contractus legitimus et indissolubilis inter virum et mulierem, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad prolis procreationem, evectus a Christo Domino ad dignitatem sacramenti'*.

73. Dicitur 1^o. *contractus legitimus*; debet enim celebrari a personis *de jure habilibus*; et quidemabilitas hæc debet verificari in ordine ad jus naturale, divino-positivum et ecclesiasticum.

2^o. *Indissolubilis*. Hæc qualitas ex lege evangelica propria est matrimonio christiano, in quo facta maritali conjunctione, verificatur plena ratio similitudinis unionis perpetuæ, quæ est inter Christum et Ecclesiam. Hinc matrimonium infidelium absolute indissolubile non est, quia ex privilegio fidei (quod vocant Paulinum, ex S. Paulo) dissolvi potest. Hinc pariter matrimonium fidelium solummodo ratum dissolvi potest virtute clavium.

3^o. *In quo traditur et acceptatur mutua potestas etc.*

Verba hujusmodi exprimunt specificè jus, quod traditur vicissim a personis contrahentibus. Quamvis enim matrimonium institutum sit etiam in mutuum adjutorium, et quamvis in statu naturæ corruptæ habitum sit ceu remedium concupiscentiæ, juxta illud Pauli *'melius est nubere quam uri'*; tamen principaliter ordinatur ad procreationem prolis.

4^o. *Evectus a Christo Domino etc.*; scilicet Christus Dominus ipsum contractum matrimonialem fidelium fecit signum sacrum, quod sanctificaret ipsos fideles, et eorundem animos gratia sibi invicem conciliaret et devinceret in ordine ad fines conjugii obtinendos, nec non conjuges adjuvaret ad onera status conjugalis ferenda.

74. *Divisiones* matrimonii plures sunt: 1^o. Dividi solet *in legitimum, ratum simpliciter*, et in *ratum et consummatum* simul:

Legitimum est illud quod contrahitur ab infidelibus, servatis tamen legibus naturalibus, et jure divino-positivo. Huic matrimonio opponitur matrimonium *illegitimum*. — Diximus *ab infidelibus*.

Nam matrimonium, quod contrahitur inter fideles, vel est sacramentum, vel est prorsus nullum. Hinc matrimonium quod civile appellant, ad exclusionem matrimonii christiani inter fideles, juxta doctrinam et praxim Ecclesiae est *illegitimum* prorsus, et vitae consuetudo inde sequens est *concupinatus*.

Ratum matrimonium dicitur illud quod contractum est servatis dispositionibus juris tum naturalis, tum divino-positivi, tum ecclesiastici, quodque proinde ab Ecclesia recognitum est et ratihabitum. Hoc matrimonium ut dicatur simpliciter ratum, subsequi non debet copula carnalis inter contrahentes.

Quod si matrimonio *rato* accedat commixtio carnis, idest copula carnalis, matrimonium appellatur *ratum* et *consummatum*.

75. 2°. Matrimonium aliud est publicum, aliud quod dicitur *conscientiae*, cui accedit *matrimonium morganaticum*.

Publicum est matrimonium illud, quod in facie Ecclesiae contrahitur, et contrahentes tum quoad conversationem, tum quoad jura conjugalia, ceu vir et uxor ab omnibus habentur.

Matrimonium *conscientiae* illud est, quod contrahitur praesertim in remedium conscientiae, et quidem contrahitur cum solemnitatibus substantialibus requisitis, quin tamen celebratio ejus in populo vulgetur, immo ea lege contrahitur ut occultum remaneat. Hinc omittuntur denunciationes, et contrahitur coram Parocho et duobus testibus fidelissimis, qui perpetuo silentio obstringuntur. Hoc matrimonium urgente aliqua necessitate, et remoto periculo luctuosi exitus contrahi potest. De hoc matrimonio agit Benedictus XIV. in sua constitutione *„Satis vobis“* quae est 35^a in ejus Bullario, et in ea tractat quomodo matrimonia occulta sint permittenda, quibus cautelis, et in quibus actis sint describenda et quomodo consulendum sit educationi et idoneitati prolis.

Morganaticum vero illud est, quod aliquando contrahitur a personis nobilibus occulte, sed coram Parocho et testibus, ea tamen conditione ut uxor et liberi ex tali matrimonio suscepti obtineant solum portionem certam bonorum ad sustentationem congruam necessariam, quin tamen jus habeant succedendi in omnia bona defuncti illustris, et in jura nobilitatis, dignitates et titulos defuncti ipsius. Hoc matrimonium praesertim in Germania frequentabatur.

76. 3°. Matrimonium aliud est *verum*, aliud *putativum*, aliud *praesumptivum*. *Verum* illud est quod adhibitis solemnitatibus requi-

sitis contractum fuerit inter personas de jure habiles. *Putativum* matrimonium illud est quod re quidem est irritum, ob latens impedimentum, sub quo contrahitur, tamen in facie Ecclesiae contractum fuit bona fide saltem ab uno ex conjugibus, et contrahentes in opinione communi reputantur ut veri conjuges. Igitur ut matrimonium in se nullum dici possit putativum requiritur a) credulitas probabilis communitatis, qua nempe communiter omnes cives retineant, illud esse validum; b) bona fides saltem ex parte unius conjugis. Si enim desit ex utraque parte bona fides, deerit prorsus fundamentum legitimae cohabitationis, et erit potius occultus concupinatus. Hinc statim ac conjuges in notitiam deveniant nullitatis conjugii, debent ab usu matrimonii cessare, et dispensationem ab Ecclesia postulare. Quod si dispensatio concedi nequeat, matrimonium haberi debet ceu nullum, et partes contrahentes ab omni vinculo solutae sunt. Filii qui ex matrimonio putativo nascuntur, licet unus tantum ex conjugibus fuerit in bona fide, a jure ceu legitimi retinentur. Ita in *cap. 3. „qui filii sint legitimi“* et in praxi S. Congr. Concilii. Legimitas enim est in jure causa favorabilis.

77. *Præsumptum* matrimonium illud est, quod ab ipso jure, posito aliquo facto, supponitur et retinetur contigisse, ita ut probatio in contrarium directa non admittatur. De hoc matrimonio agit *cap. 30. h. t.*, ex quo infertur matrimonium praesumptum esse illud, quod praesumptione juris et de jure censetur intervenisse inter personas quae post inita valide sponsalia copulam liberam inter se habuerunt. Scilicet jus praesumit copulam hanc liberam affectu maritali positam ac proinde illam recipit ceu signum consensus conjugalis. Consensus enim potest in matrimonio exprimi vel verbis vel signis. Haec quidem praesumptio respicit forum externum solummodo. In foro enim interno videndum est, utrum revera copula carnalis affectu maritali intercesserit necne; quod si maritalis affectus non extiterit, nec verum extitit matrimonium, neque conjuges poterunt sese gerere ceu vir et uxor, sed in foro externo pro valore matrimonii militat praesumptio juris et de jure, scilicet praesumptio supra quam legislator fundavit legem suam; ac proinde si directe oppugnaretur, fieret oppositio ipsi legislatori. Quare praesumptio hujusmodi non admittit probationem directam in contrarium.